



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Maria Ægyptiaca. 9. Aprilsi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

9. April. VITÆ SANCTORUM. 231
lanti luxuria prostibulum constituit, Spiritum S. in quo signatus fuerat abiecit, spiritum libidinis in se introducit? S. P. Damian. l. 4. Ep. 3.

S. MARIA ÆGYPTIACA. 9. Aprilis.

Audite omnes apud divinum tribunal rei. Patronam si Matrem Judicis habetis, causam peractam habetis. Certè causâ laboravit illa MARIA, cui nomen Ægyptus dedit, & tamen hâc non cecidit, ubi melior MARIA peroravit. Quid enim? nominis illa sui oblita, ut voluptati litaret, pudorem non venalem, sed gratis omnium libidini exposuit: quin festo Exaltatæ Crucis die, cum Hierosolymam Orbis conflueret, ausa est velle ibi infanda Veneris sacra publicare. Sed molientem ter pedem impurum templo inferre, ter repulit vis arcana. Quid MARIA? ad MARIAM? abit. quid agis misera? Veneri patrocinari vis Virginem? O quid apud Matrem non possunt lacrimæ? quid non lac Matris apud sanguinem potest FILII? orat illa; exorat iste: absolvit Judex admisam, quam absentem damnaverat. Sed audite pœnitentem, qui peccantem inspicitis. VI. annis supra XL. eluit lacrimis feras inter, quidquid inter homines peccaverat, semper oppugnata ab Orco, semper victrix, Virginis auxilio,

232 VITÆ SANCTORUM. 10. April.
nulli hominum nisi Zosimo visa. Is divi-
no ductu ad eam venit, & vitæ seriem,
quam dedimus, audivit; cum sacro dein
epulo revisit, quod ut caperet M A R I A,
per Jordanem sicco vestigio advolavit.
Ita puram cum undæ jam probassent, se-
cundò redux defunctam in arena offen-
dit: anxio verò de sepultura leo superve-
nit, & fossam unguibus dedit, æternum
non tam pœnitentis, quàm miserantis
M A R I A monumentum. *Ex vit. PP.*

*Si criminum immanitate turbatus, si con-
scientiæ sceditate confusus, si iudicii horro-
re perterritus, si baratho desperationis ab-
sorptus es, Mariam cogita, Mariam invo-
ca: non recedat à corde, non recedat ab ore.*
S. Bern. serm. sup. Missus.

S. MACARIUS PATRIARCHA.

10. Aprilis.

MACARIUS Armenus Patriarcha
Antiochenam sedes beavit, sed mul-
tò magis pauperes, quos unos illi domi-
ni Palatinos, foris antambulones ha-
buit. Ob id, & quæ jam tunc patrabat
mira, ne in ore omnium esset, omnium
oculos fugit, & sub quo lateret igno-
bilis, sepulchrum Christi petiit. Sed Sa-
racenorum scelere ad ipsa ossa usque lace-
ra virtus, & tribus clavis pavimento af-
fixa, pressaque pectus ignitò saxo, ut ferè
solet, se ipsa podidit: prodidere Angeli in
auxi-